

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Jo! Triumphe! Euge! Gratiae! Delicatulae! Euge! Plaudite!  
Cum Par Egregium O Par Absqve Pari! Qvanta Nomina!  
Qvanta Gavidia! Qvanta Praemia!...**

**Jani, Johann Hermann**

**Halæ Magdebvrg., MDCCXXIX.**

**VD18 13155059-001**

[Jo! Triumphe! Euge! Gratiae! Delicatulae! Euge! Plaudite! Cum Par  
Egregium O Par Absqve Pari! Qvanta Nomina! Qvanta Gavidia! Qvanta  
Praemia!...]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-805706](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-805706)





Ur mihi, Livor iners, iuveniles obiicis  
annos,

Ingeniique vocas carmen inertis  
opus?

Carmina cur scribam, si vis cognoscere,  
cuncta

Tempore depereunt, carmina morte carent.  
Non sum Maeonides equidem, qui nomen habebit,  
Dum rapidas Amasis per mare volvet aquas.

Non ~~Metamorphoses~~, Aeneiaque arma reposes,  
Non referam muneris, Maseule Naso, tuos.

Battiades tantum Frisio cantabor in orbe,  
Qui non egregia mente, sed arte valet.

Sed valeant tetrici versus, mordacia verba,  
Alter in Idalia poscitur arte labor.

Si liceat, festis disolvam tempora curis,  
Non iam Tisiphones claustra maligna placent.

En! festos mea Musa dies miretur Amantum,  
Et non insulos dent mea verba sales.

Hæc mihi facta dies, in qua mihi flavus Apollo  
Pocula Castaliæ plena ministrat aquae.

Blanditias, Elegosque volo, sed verba videntur  
Imparibus numeris sollicitare manum.

Vos, PAR EGREGIVM! Vos, Nomina Magna, poetæ  
Solvitis in varias carmina balba vices.

Ergo præcinctus tempora lauro,  
Atque triumphali redimitus tempora myrto  
Vates carmina texat.



Age! Barbitos laborum  
Medela dulcis! concine  
Flammeum festi rutili nitorem!  
Laetaque, præcipitataque verba fortuitos  
In re præcipiti præcipitent modos.  
NOBILE PAR! quod cura Dei, quod provida cura  
Vigilis Jehovæ legibus suis iunxit  
Irremeabilibus  
Irrevocabilibus.

SPONSE BEATE!  
Quem cupit esse  
Sponsa Maritum,  
Quæ decus eximium propriis insignibus ornat.  
Sit Cassandra sagax Troianis incluta tectis,  
Ac Echoniis celebrentur nomina Mantus  
Undique muris.

Hanc omni Pietas Sponsam tamen eximit aevo.

SPONSE BEATE!  
Quot leges veneraris Ulpianas,  
Quot signas tabuulas Iudicii Pii,  
Tot nunc Amœnitates  
Omnes Caltalio liquore sparsas,  
Omnes Nectaris imbre delibutas,  
Sponse, reportas.

Scrutator facer helluoque Juris!  
En! nunc Tuis Novellis,  
Sponse corusco  
Si dere pulchrior!  
Pandectis, Canoni, Codicique  
Quadantenus veniam dabis,  
SPONSA BEATA!

Sponso recenti iam beatior multo!  
Ampla Palladis officina nostræ  
Tædis COLDEVII sacraris,  
Aonidum nactura decus,  
Pierin, et cunctas aufers pro dote Camœnas.  
Phœbum Sponsalia donant,  
Themidosque floridum decus.  
SPONSA BEATA!



SPONSE BEATE!

Cunctator sobrius cunctando constituis Rem,  
Et arduam Rem differens  
Nunc omne punctum fers Rei.  
Coniuge mitescit prætor, rigidæque secures  
Solenni cessere toro.

Hinc thalamos, hinc jura dabis cum conjugè, Sponse,  
Hoc quoque Doctorum nomina juris habent.  
O PAR EGREGIVM, potes  
Torrentiorem fallere Sirium  
Omne fausto.

Salve, fidereæ proles Augusta cohortis!  
Cui sanctis animos ignibus uris amor.  
Augusto quæ mense pios iam concipis ignes,  
Longaque nunc læta præmia mente feres.  
Felices animæ! (Quid enim tacuisse iuvabit?)  
Pegasei gaudent latices se effundere totos,  
Optima cum sanctis pascantur pectora flammis.

Provida cura Numinis ampli  
Sculpfit in ipso Cortice fati  
Nomen Amantum,  
Hos nec ut imber, Turbidus imber  
Turbo malorum Turbet Amores.

Munera nunc carpenda dedit, munera fixit  
Fragrantiora cælicis odoribus  
Candidiora rosis,  
Hyblis fragrantiora,  
Thymbra fragrantiora,

Munera, Narcissi multum superantia florem.  
Perpetuus sit Vester amor, pietasque perennis,  
Nec nisi cum Vobis sit moritura fides.  
Auspiciis Augusta bonis nunc tempora currunt,  
Hinc Augmenta volunt, præmia fera volunt.  
O PAR AVGVSTVM! quod paucò tempore crescat,  
Augeat Augusta quod sibi prole domum!

Sic lætetur Avus, cernens pia dona Nepotes,  
Sic Aviam recreet Nati Natæque Propago,  
Sic, si fata volent, rutilanti natus inostro  
PARVUS HONORIADES genibus confidat avitis.



